



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLX. Vtrum actus voluntatis præcedat, an comitetur, aut
subsequatur actus notionales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

di est, quia, si locum habeat in productis intra Deum, nihil erit productum intra ipsum voluntarie, nisi voluntate reflexa: eatenus enim aliquid in Deo voluntarie producit, quatenus volitum est, si autem solum intelligatur de productis extra Deum, inanis videtur labor S. Thomæ, quia difficultas præsentis articuli solum erat de actibus notionalibus.

Respondet Caietan. rationem S. Tho. intelligi etiam de quouis producto intra ipsum Deum, qualem putat esse actum voluntatis liberæ, qui licet non sit re ipsa productus, concipitur tamen ad modum producti. Inquit igitur, etiam hos actus esse voluntarios & liberos, quia quodammodo voliti sunt, non alio actu distincto & reflexo sed eodem. Actus enim omnis voluntatis, inquit ille, volitus est, ut ratio volendi obiectum. Nescio tamen quis Caietan. in has angustias redegerit, ratio namque S. Tho. plane probat omne illud esse voluntarie productum, hoc est, libere & ad verum quod est à voluntate, hoc est, ab actu voluntatis ut à principio, siue productum sit intra Deum, siue extra. Ex hoc autem concludit, nihil intra Deum esse hoc modo productum, quia nullus actus notionalis hoc modo producit. De alijs vero operationibus liberis, quæ vere non producuntur, sed concipiuntur ut operationes, quales sunt voluntates liberæ Dei, non probat hæc ratio Sancti Thomæ, liberas esse: sed alia ratione id probari potest. Nunc enim S. Thomas solum contendit, ostendere, nullum actum notionalem liberum esse, id autem ratione prædicta optime concludit. Porro actus volendi creaturas, etiam si concipiantur elicitur à facultate voluntatis ut à proximo principio, non autem ab alio actu volendi esse liberos alia facili ratione ostensum est supra à S. Tho. q. 19. art. 3. ut nos etiam disp. 79. explicavimus.

DISPUT. CLX.

Utrum actus voluntatis præcedat, an comitetur, aut subsequatur actus notionalis.

Opinio Gregorij, Capreoli, & aliorum. cap. 1.

Quid senserint Scotus, & Caietan. cap. 2.

Quamcumque voluntatem Dei circa actus notionales nullo modo priorem, sed posteriorem esse illis, verior sententia est. cap. 3.

Quomodo Patres de hac re locuti fuerint. cap. 4.

CAPVT I.

Opinio Gregorij, Capreoli & aliorum.

Cuius rei, possit etiam præcedere comitari, aut subsequi veluti voluntas nostra, quæ non est causa plurius, potest illam præcedere desiderando illam, & comitari gaudendo de illa præfenti, & subsequi complacentiam habendo de illa ut præterita, merito dubitandum est, quo pacto se habeat actus voluntatis in Deo respectu actuum notionalium.

Fuit autem opinio Gregorij in 1. dist. 6. quest. 1. art. 3. ubi impugnatur Scoti sententiam, & Capreoli eadem distinctione quest. 1. articulo 1. conclus. 6. & art. 2. ad argumenta contra eandem conclus. Ferrariensis 4. contra gent. cap. 11. §. viii. autem, & Canariensis 3. parte commentarij huius art. voluntatis actum, quo dicuntur voluntatis actus notionales, non posse præcedere

ARTIC. II.

eos, sed necessario eos comitari. Videtur autem pressa sententia S. Tho. q. 2. de potentia art. 3. ad 2. Et Caietan. respondet Sancti Thomam solum negasse, voluntatem præcedere ut principium, non alio modo. Hanc tamen interpretationem optime refellit Ferr. ex verbis Doctoris S. ut quilibet videre potest.

Ceterum ratione Ferrariensis probatur, Primo. Ante actum individuum provenientem à supposito necessario intelligi non potest alius actus eiusdem suppositi ut prior secundum verum ordinem intellectus, eo quod nequeat esse aliquis actus medius inter suppositum & actum, qui egreditur necessario à supposito; bene tamen possunt intelligi plures actus ab eodem supposito æque simul necessario egredientes: actus autem notionales egrediuntur, necessario à supposito ergo non potest intelligi actus voluntatis præcedere illis, esset enim hic actus medius inter suppositum & actum notionalium, quod est impossibile. Secundo probatur ratione Canariensis. Etiam si non esset aliquis actus voluntatis circa actus notionales, nihilominus essent actus notionales: ergo actus voluntatis circa actus notionales non præcedit ipsos si enim præcederet, eo ablato, tolleretur etiam actus notionalis, quia ablato priori, necesse est auferri id, quod posterius est. Constat etiam id ex S. Tho. in hoc art. qui solum concedit voluntatem comitantem. Tertio probatur ratione Gregorij. Patris notitia non potest esse perfecta, aut equam generet: ergo nec velle generare, quia velle sine intellectione esse nequit, si prius sit velle generare, quam ipsum generare sequitur, filium habuisse esse post non esse. Visio denique confirmari potest, quia si actus voluntatis præcedit generationem, aliter præcedere nequit, quam origine: hoc autem modo non potest esse prior, quia sequeretur, actus notionalis esse voluntarios voluntate ut principio: ergo nullo modo præcedit.

CAPVT II.

Quid senserint Scotus & Caietan.

Scotus in 1. distinctione 1. §. in ista questione, ceterum aliquem actum voluntatis priorem esse secundum rationem, quam origines, seu actus notionales. Cuius sententiam amplectitur Caietan. in huius articulo; in cuius confirmationem notat Scotus, duplicem actum intellectus & voluntatis distinguere posse: alterum intellectus essentialis, qui communis est tribus personis, alterum intellectus notionalis, qui proprius est patri; in voluntate similiter unum esse actum omnium personarum, alterum vero patris solum, & filij producentium Spiritum Sanctum. Huc probatur, quem actum intellectus & voluntatis, nimirum essentialis, priorem esse originibus, & actibus notionalibus: nam prima persona in aliquo instanti originis intelligitur prius posse generare, quam generet, ut præcedenti disputatione probatum est; & in eo instanti persona patris se habet ad personam filii & Spiritus sancti, ut ad personam producentem & possibilem; cumque pater in instanti sit perfecte Deus, & perfecte beatus, intelligit intellectione essentiali, quæ non est productio, & vult voluntate essentiali, utramque communicat filio per generationem: ergo hac intellectione intelligit actus notionales, ut futurum

Gregorius
Capreol.

vel possibiles, & voluntate essentiali vult eos esse futuros aut possibiles, hoc est, placet illi esse futuros aut possibiles.

Arguitur hinc patet, quod modo actus ille voluntatis non sit principium actuum notionalium; neque eo dicatur Deus producere quia vult; est enim solum complacentia quædam simplex de actui notionali possibili aut futuro, quæ patri conuenit in illo instanti originis, antequam generet. Et eodem modo hinc solui possent omnia argumenta, quæ pro prima opinione allata sunt. Illa enim solum probant, non posse priorem esse actum voluntatis tanquam principium actuum notionalium; non tamen alia ratione explicata. Quare Capreol. loco citato ad argumenta contra sextam conclusionem concedit eandem, ex imperfectione nostri intellectus prouenire, ut voluntas generandi in Deo consideretur prior, quam ipse actus generationis, quauis re ipsa non sit prior, id quod solum Scotus contendit.

Alio modo posset explicari hæc sententia ut voluntas illa sit prior eo sensu, quo essentialia dicuntur esse priora notionalibus; eo quod sunt magis communia, & commune prius est particulari secundum regulas Arist. in Categ. cap. de modis prioris. Respondet tamen Canar, velle generare non esse essentialia, sed notionalia & proprium patris: ille enim solus vult generare, sicut etiam solus ille generat. Fallitur tamen, quauis enim solus pater velit se generare filium; alia tamen persona vult etiam generari filium à patre, & ita illis hoc placet sicut patri.

Ceterum Ferrar. aliter respondet, nimirum ea solum essentialia esse priora notionalibus, quæ significant ipsam essentialiam, non autem quæ significant operationem, qualis est voluntas. Hoc tamen non minus falsum est, quia sicut deitas est prior, quam filiatio: sic etiam eadem ratione scientia, & voluntas est prior eodem modo, quo animal est prius homine. Nam sicut sine animali non potest esse homo, & animal recte sine homine: sic personæ non possunt intelligi sine deitate, scientia, & voluntate: contra tamen recte intelligitur essentia, scientia, & voluntas sine tribus personis. Sed hic modus prioritatis alius est à præcedenti, quam Scotus probare contendit.

CAPVT III.

Quamcumque voluntatem Dei circa actus notionales nullo modo priorem, sed posteriorem esse illis, verior sententia est.

Mhi probatur sententia Henrici in summo art. 18. q. 2. & quod lib. 5. q. 4. & Gostredi quodlib. 5. quæst. 5. quem refert Scotus loco allegato, qui in vniuersum adstrunt, omnem actum voluntatis Dei, qui circa actus notionales tanquam circa obiectum versatur, esse posteriorem ipsis actibus notionalibus secundum rationem. Ex quo sequuntur duo contra duas præcedentes opiniones: primum est, nullum huiusmodi actum voluntatis esse priorem actibus notionalibus, in quo conuenimus cum prima scientia, & secundæ aduersamur. Alterum est, nullum huiusmodi actum voluntatis comitari actus notionales, & esse simul cum illis; sed esse posteriorem: intelligo secundum rationem, non à duratione simul sunt; quod primæ scientiæ oppositum est, nisi autores illius comitantur. *Vaquez, in 1. parte Tom. 2.*

tiam intelligant durationis. Nos autem cum negamus prioritatem, loquimur de omni genere illius, ita ut nec origine, nec ratione, nec vilo alio modo actus voluntatis sit prior, sed potius secundum rationem sit posterior.

Henricus vero probat hac ratione, quæ etiam *1. ratio Henrici* vsus est Gregorius ad probandum, actum voluntatis non esse priorem; quia intellectio notionalis quatenus est patris, intellectio est; prior autem est in patre intellectio, quam voluntatis actus: ergo prior est actus notionalis generationis, quam voluntas circa illum. Huic tamen rationi, quæ, mea quidem sententia, infirma est, facile occurrere posset aduersarij: quia in Patre non solum est intellectio notionalis, quæ est generatio, sed antequam generet, concipitur à nobis cum sola intellectu essentiali, quam habet, in quantum est Deus: ergo ex illa potest habere quoque actum voluntatis, antequam intelligatur habere actum notionalis intellectus. Alia igitur via hæc sententia probanda est.

In eius vero confirmationem notandum est *Conclusio confirmatio, & explicatio.* primo, præsentem questionem esse de actibus, qui reuera sunt in Deo. Inter eos autem inuestigare conamur ordinem prioris & posterioris, vel prioritatem secundum rationem, vel secundum originem: aliud namque genus prioritatis, quale est duratione & natura, non reperitur in Deo. Nominem autem prioritatis secundum rationem intelligo etiam eam, quæ reperitur inter essentialia, & notionalia, qualis est in creatis inter vniuersalia, seu communia, & particularia, quæ vocatur ab Arist. prioritas à quo, de qua dicemus disput. 167. capite 2.

Secundo obseruandum est, illud tantum assignari prius, vel posterius alio, quod cum eo ordinem habet. Nam si non habet cum eo ordinem, nec est illo prius, nec posterius: hæc enim duo sine ordine non sunt. Quare illud est prius origine alio in diuinis, quod cum illo habet ordinem originis: ordinem autem originis non habet nisi id, quod producit cum producto, & per se requiritur ex parte producentis, ut producat, cum producto: & contra quæ per se requiruntur, ad productum, ut productum est, ordinem habent cum producente, & cum ijs, quæ ad ipsum, ut tale est, per se requiruntur: quæ vero per accidens sunt in producto aut producente, nullum habent inter se ordinem, nec cum producente & producto. In causis & effectibus naturalibus non licet inueniri. Nam si homo est causa hominis, & in homine producente est albedo, illa non est prior causalitate quam homo productus, quia nihil ad productionem illius conducit: est tamen prior duratione, quia simul est cum homine producente, qui tempore præcedit productum. In sole quoque rotunditas non est prior origine seu causalitate illuminationis, & lumine producta, quia nihil ad illam confert: licet sit in illo, qui est prior causalitate, quam lumen productum, scilicet in sole.

Tertio nota, nos hic non debere confingere novos actus in Deo, & noua obiecta cognita & volita, quæ reuera non sunt, ut illa tanquam priora alijs esse dicamus: sed inter ea tantum, quæ reuera sunt in Deo, ordo assignandus est aut secundum originem, aut secundum rationem nostram.

His iactis fundamentis, prior pars sententiæ prædictæ, *Cc*

Vbi non est ordo, non est prioritas.

8.

prædictæ, videlicet actum voluntatis non esse priorem, quam actus notionales, recte probari potest, quia actus voluntatis, simplicis quoque complacentiæ circa actum generationis aut inspirationis futurum, aut possibilem tantum, non est in Deo: ergo talis actus non potest esse prior aut origine, aut etiam secundum rationem, quam actus notionalis, atque eadem ratione nec erit posterior neque simul: hi enim ordines, ut diximus, in ea solum assignari debent, quæ in Deo reperiuntur: tale n. vero actum voluntatis non esse in Deo patet; quia Deus non considerat inquam suam generationem ut futuram aut possibilem tantum, quasi per intellectus abstractionem: imo nec potest hoc modo illam considerare. Quæ de causa disp. 14. 2. cap. 2. contra Caietanum diximus, verbum non produci cognitione sui ipsius sub esse possibili aut futuro, quia nullus talis in Deo cognitio est. Nam cum Deus non possit abstractione intellectus unum eorum, quæ sunt in ipso, considerare sine alio, nec possit sub alio statu illud intelligere, quam sub præfenti, in quo necessario semper fuit, non est dicendum, Deum cognoscere prius se ipsum, aut aliquid sui, ut possibile aut futurum, quam ut præfens, etiam nostro modo intelligendi. Nos quidem in ipso intelligimus, prius filium esse possibilem, quam esse actum; quia instar aliarum rerum ipsum apprehendimus: at vero non debemus considerare ipsum tanquam intelligentem prius filium suum secundum esse possibile, quam actum existentem: hoc enim tribuere Deo signum est in ipso Deo: at nos ipsum considerare variis modis signum est manens solum in nostra intellectione; ergo si Deus non intelligit prius filium suum, aut Spiritum S. ut possibilem, quam ut actum existentem, neque prius habebit actum voluntatis circa illos ut posibles, vel existentes & nostro modo intelligendi: ergo non est prior origine actus voluntatis circa actus notionales, quam sint ipsi actus in Deo, neque prius ratione: siquidem prius & posterius solum debent in Deo assignari, etiam per nostram rationem inter ea, quæ vere in Deo sunt, ut notatione prima & tertia dictum est.

Sed obijcies, cum nos apprehendimus Deum & primam personam, antequam generet, & sub conceptu potentis generare, nonne consideramus ipsum, ut intelligamus prius se ipsum ut potentem, quam ut generantem? Respondeo nequaquam. Concedimus quidem, nos intelligere prius Deum ut potentem, quam ut actum generantem: hoc enim est naturale nostro intellectui, qui instar aliarum rerum Deum cognoscit; negamus tamen, nos ita considerare Deum, ut intelligat prius seipsum prout potentem, quam prout actum generantem, vel prius intelligat aliquid in se futurum quam præfens: hoc enim absurdum est, & divinæ intellectioni minime conveniens. Quod si Deus vere intelligit se potentem, potentiam tamen non intelligit, nisi ut coniunctam actui & operantem, non ut postea in futurum operaturam, vel potentem imposterum operari: ergo non ita cogitamus ipsum, ut prius intelligat seipsum tanquam potentem solum, sed consideramus non prius ipsum ut potentem, quam ut actum generantem: quæ duo longe diversa sunt.

Ceterum concedamus, Deum à nobis considerari, ut prius cogitet seipsum tanquam poten-

tem, quam ut actum producentem filium, & Spiritum sanctum: nihilominus dici non potest, voluntatem illam, quæ circa actus notionales fuerat, aut posibles verarietur, priorem fore secundum originem, sed solum nostro modo intelligendi. Nam prioritas secundum originem est realis, ut ostendimus infra disputatione 157. cap. 2. illam tamen non esset realis, sed tantum per intellectum nostrum. Tum etiam prioritas secundum originem est inter producentem & productum, & inter ea quæ per se pertinent ad producentem & ad productum, quæ vero per accidens ad utrumque se habent, nullum inter se ordinem habent secundum originem, ut secunda notatione probatum est: sed illa voluntas generandi, aut ipsam non pertineret per se ad principium talis ordinis, quia sine illo posset esse: ergo non esset prior secundum originem, esset tamen prior nostro modo intelligendi, quatenus à nobis conciperetur, prius quam ipsi actus: cum enim conciperemus, actus notionales ut futuros, aut posibles, licet ipsi futuri non essent, aut posibles; & circa ipsos tales verarietur actum voluntatis: & possibile, aut futurum concipiatur ut prius, quam præfens: esset sanè in nostro intellectu prior illa voluntas, quam actus notionalis præfens. Et hæc circa priorem partem illius sententiæ.

Alteram vero quæ affirmat, illam voluntatem esse posteriorem actibus notionalibus, & non esse simul cum illis, neque eos commitari, nulli duratione ex dictis quoque facile probatur. Nam voluntas illa est circa actus, ut iam præfens: omnis autem actus voluntatis simplicis supponit obiectum suum eo modo, quo circa illud verarietur, aut possibile aut futurum, aut præfens aliter, quam actus efficax, qui est causa sui obiecti. Velut si alicui placeat possibilem esse pluviam, prius est pluvia ut possibilis, si placeat ut futura, prius est futura: si placeat ut præfens, prius est præfens: ergo cum origines placeant Deo ut actus existentes & præfentes, prius illæ sunt præfentes, quam si voluntas circa illas: ideo namque placeant, & voluntate hæc simplici volitæ sunt, quia præfentes sunt, non contra. Convenit autem hæc nostra sententia cum S. Thom. qui locis citat. negant, actum voluntatis esse priorem actibus notionalibus: sed cum concessit voluntatem comitantem, non negavit ordinem, quem nos posuimus inter originem, & obiectum & voluntatem, & actum illius, hæc enim negari non potest, sed negare voluit priorem illam principij, quæ Arriani ponebant. Adducit enim exemplum voluntatis concomitantis, cum ego volo, me esse hominem, constat autem prius esse hominem, etiam ordine naturæ quam velis, me esse hominem.

Id, quod diximus, non tantum intelligitur est de prioritate secundum originem, sed etiam de prioritate illa, quæ diximus essentialia præcedere, & esse priora notionalibus, illa enim solum priora sunt notionalibus, quæ non respiciunt notionalia ipsa, tanquam obiecta. Si enim hoc modo ad notionalia referantur, sicut referuntur actus intellectus & voluntatis, qui reflectuntur supra notionales actus, absque dubio sunt posteriora notionalibus.

Ex dictis quoque solutum manet argumentum Scoti pro sua sententia. Ad argumenta vero præfata sententia non opus est respondere, et cum probatur.

probant id, quod nos libenter fatemur, scilicet actum voluntatis, quo pater vult generare & spirare, non esse priorem ipsa generatione & spiratione. Superest tamen, ut quaedam dicta Sanctorum interpretemur, qui videntur non solum concedere voluntatem ut priorem actibus notionibus, sed etiam tanquam principium illorum.

CAPVT. IV.

Quomodo Patres de hac re locuti fuerint.

EX Patribus autem Hilar. videtur docere, esse in Deo voluntatem generandi ut principium generationis, libro enim de synod. in defensionibus professionum Catholicarum contra Photinum, definit. 25. inquit, si quis nolente Patre natum dicat filium, anathema sit non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus genuit filium, sed max. ut voluntate. Verum hæc definitio nullius est momenti. Est enim Concilij Syriensis, quod fuit Arrianum, & in ea, sicut in multis erroribus Actij expressit. Sed inferius idem Hilar. ex synod. Catholica Sardicensi refert hæc verba. Vel quod neque consilio, neque voluntate pater genuit filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, scilicet hoc affirmantes. De qua synodo testatur idem Hilarius ibidem brevibus, absolutissimis tamen definitionibus usum fuisse.

Sed Hieron. in illud ad Ephes. Qui predestinavit nos, inquit, De filio vero, hoc est, de Domino nostro Iesu Christo in alio loco scriptum est, quod semper cum fuit, & nunquam eum, ut esset, paternam voluntatem præcessit. Ergo definitio illa est intelligenda, ut pater genuerit filium consilio & voluntate, non ut principio, sed comitante secundum durationem, & subsequente secundum rationem, quia scilicet videns se generantem vi naturæ & necessario iudicavit, illi esse summe boni & perfectum, & ei id placuit. Quamvis enim necessitate naturæ, tamen non repugnantem voluntate genuit. Cum vero Hieron. negat voluntatem præcedentem, loquitur plane, non ut Scholastici de præcedente solum secundum rationem, sed tempore & duratione.

August. quoque lib. 6. q. 7. Orosio interroganti, an Pater genuerit voluntate, respondet, neque voluntate, neque necessitate, hoc est, neque voluntate ut principio. (Intelligit vero non facultatem, sed actum voluntatis) neque coactione. Et lib. 15. de Trinit. c. 20. asserit, sicut Deus, neque voluntate est Deus, neque necessitate, neque est Deus volens neque volens: ita etiam neque voluntate, neque necessitate, neque volens neque volens genuit. Quod eodem modo, ut supra explicandum est.

Ceterum videamus, an modus ille loquendi Concilij Sardicensis, Deus voluntate genuit, sit cōcedendus. Masl. in 1. q. 10. artic. 3. & Gabriel. d. 6. q. 1. dixerunt partem illam, voluntate capi posse dupliciter, aut tanquam adverbium, ut idem sit, quod voluntarie, & sic veram esse propositionem: aut in casu effectivo, & sic esse falsam, eo quod significare videatur principium veluti efficiens. Verum S. Thom. in hoc art. & Scotus in 1. dist. 6. q. 1. art. 2. concedunt hanc propositionem, Deus voluntate genuit filium, sola facta distinctione de voluntate comitanti aut præcedenti in principio; priori modo illam concedunt, posteriori vero negant, & quia potest habere prædictum sensum verum, illam absolute cum Concilio Sardicensi concedunt. Quo autem sensu dixerit Concilium Tolet. 15. secundum Vasquez in 1. p. 10m. 2.

CAPVT. I.

303

essentiam diuinam voluntas genuit voluntatem, explicauimus supra quæst. 39. art. 5.

DISPUTATIO CLXI.

Utrum Spiritus sanctus producatur necessario, an libere.

Henricus censet Spiritum sanctum quodammodo libere, quodammodo naturaliter procedere. cap. 1.

Processionem Spiritus esse necessariam, non tamen liberam, Scotus autem ait. cap. 2.

Spirationem Spiritus sancti non tantum necessariam, sed etiam naturalem, & non liberam dicendam, verior sententia est. cap. 3.

Diluuntur argumenta Scoti cap. 4.

CAPVT. I.

Henricus censet Spiritum sanctum quodammodo libere, quodammodo naturaliter procedere.

Controuersia hæc, cum S. o. saltem, verbo, rum est, non rerum. Ipse namque asserit, Spiritum sanctum ita necessario produci, ut non possit non produci: in modo tamen loquendi, an scilicet dici debeat libera eius productio, cum sit per voluntatem, non eodem modo sentit, atque alij: cum Henrico tamen de re etiam ipsa videtur esse dissensio. Is enim in summa, ut refert Scotus in 1. Scotus, d. 1. q. 1. §. quantum ad primum, & §. quantum ad secundum, & quodlib. 16. artic. 3. asserit, Spiritum sanctum procedere quidem naturaliter naturalitate (ut ipse ait) tantum comitante, & simul procedere libere. Ut autem hanc sententiam nobis exponat, notat, triplicem esse posse actum voluntatis, ut liberum arbitrium est, tendens in aliquod bonum, quod non est summum, & hic actus omnino liber est. Huiusmodi est omnis actus voluntatis, etiam diuinæ circa obiectum quodcumque creatum. Secundus actus est à voluntate in Deum clare visum, & dicitur omnino naturalis, quia à natura ut principio, immutabilis & necessarius est. Tertius actus dici potest naturalis natura tantum comitante: voluntas enim est facultas quædam existens in aliqua natura, & ex ipsa modum quendam naturalem habet comitantem in operationibus. Hoc modo putat, processionem Spiritus sancti esse naturalem. Nam in processione Spiritus S. considerat hic author duplicem respectum operationis, vnum ad Deum clare visum & dilectum, alterum ad Spiritum S. ut amorem productum. Processio enim Spiritus S. non tantum est productio amoris, sed etiam dilectio summi boni, hoc est, bonitatis Dei. Secundum priorem respectum dicit esse actum naturalem à natura ut principio: secundum posteriolem dicit esse liberum, sed comitante naturalem, propter comitantiam, quam habet libertas voluntatis cum natura. Ex quo colligit, Deum viuere naturaliter necessitate naturæ, & intelligere naturaliter necessitate etiam proueniente ex obiecto: at vero spirare naturaliter propter comitantiam naturæ, quia principio spirandi annexa est natura.

Hanc sententiam refert Scot. locis citatis, duabus rationibus minoris momenti, quas ideo consilio prætermitto: hæc enim unica & facili impugnari potest. Aut enim putat Henricus, naturalitatem (ut ipse loquitur) esse annexam processionem Spiritus S. quia voluntas est in ipsa natura diuina veluti in subiecto, & hoc non obstat, quo minus actus